

improbi) *interficere ipsum* (Jeremiam) *voluerunt, uti legimus Ier. 26. At Deus ipsius vice Viros potentes quidem, sed improbos, sacerdotes nempe, mortem Jeremie machinantes, morti dedit per Chaldaeos 2. Reg. 25, 18, 19. 20, 21. Nihil illis divitiæ suæ profuerunt, quibus redimi se posse speraverunt: addendo quod sensum hunc bene expresserint Græci. Quin reliqua verba: Eò quod iniquitatem non fecerit, nec dolus in ore ejus fuerit: perinde ac ille Anonymus ita exprimit: quanquam nihil aliud dixerat, quam quod Deus mandaverat. At enim verò, etsi quacunque ratione per Impios intelligi possint sacerdotes illi & Pseudo prophetæ: etsi etiam Divitis nomine illi intelligerentur (quod tamen nequaquã probari potest); falsissimum tamen est, hic de Chaldæis atque excidio per ipsos facto, agi: ceu nec verbula quidem Chaldæorum mentio fit in toto hoc LIII. Capite: quin verba illa, quæ de solo Christo agunt, teste Petro 1. Ep. c. 2, 22. cum Judæis contra Christianos & ipsum Spiritus S. testimonium ad Jeremiam detorque- re, velle pectoris Christiani non est. Nec pium omnino est, verba Scripturæ ita restringere & coarctare, ut quæ omnimodam innocentiam & ἀναμαρτησίαν Christi exprimunt, tantum de munere prophetico rectè administrato accipiantur.*

§. 7. *Deinde* removemus & illos, qui quidem Caput hoc de *Messia* explicant, Dictum tamen nostrum aliorum, quàm *ad Sepulturam ejus*, nim. ad pœnas hostibus propter mortem Messiaë illatam infligendas detorquent. Atque huc referri possunt Jonathan Ben Uzielis, Paraphraſtes Chaldæus, LXX. Interpp. Græci

ex